

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

Cap. V. Regulae modum excerptendi praescribentes.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082

ET L. C. COLLIGENDI.

clesiæ hostes decertare valeamus. *Apparatu nobis opus est & rebus exquisitis undique & collectis, arcessitis, comparatis,* ait Cicero libr. II. de Orator. cap. 26.

IV. *Ingravescentes etas.* Adventante senectute, oculis caligantibus & tremulis manibus officium suum non facientibus, vix pauca non sine magna difficultate legere, ne dum excerpere, aut parandis concionibus novum apparatus corrogare possumus. Colligendum itaque & excerpendum in juventute, ut excerptis frui queamus in senectute. In ætate vive memor hyemis, & cum formica, colligendi magistra, melioribus annis collige & reconde, quod deterioribus consumas. Disce congregare dum vires, anni que sinunt, ut habeas, quo se posterior ætas soletur.

CAP. V.

Regule modum excerpendi præscribentes.

Modus Excerpti est vel *solitarius* vel *socius*; *Solitarium* voco, quando quis sibi soli scitu & memorata digna in lectione Autorum seligit atque enotar; *Socium*, quando tres, quatuorve aut etiam plures Studiosi, qui ejusdem profectus sunt, eundemque studiorum

RATIO LEGENDI AUTORES.

scopum habent, operas conjungunt, & *Collegium Gellianum*, ut vocant, instituunt, ita ut singuli de eadem materia certos domi evolvant autores & insigniora enotent, deinde in commune suas annotationes conferunt, quas quilibet suis demum infert. Locis Communibus. Quod sanè præclarum est proficiendi compendium, At nos h. l. eum potius instruimus, qui sibi sollicitus & Musis suis, is itaque sequentes regulas observet:

1. *In excerptando judicium adhibeat & delendum.* Hic sapius monendus est Excerptor; *Quod facis, fac cum iudicio.* Ut sc. non quævis promiscua, aut ubivis obvia, protrita, millies decantata & vulgaria exscribat, sed selecta, exquisita, optima, notatu digna, quod ipsa vox excerptendi indicare videtur. *A. Gellius* Noct. Attic. Lib. XIV. cap. 6. & lib. XX. cap. 10. merito perstringit eorum infelicem diligentiam, qui hæc in rennii sunt, ac proletaria & obvia quævis in excerpta rapiunt. Contrarium statuit *Johannes Sturmius* de resolvenda Lingvâ Latina; Videl. *In congeſtionibus* (ita appellat Locos Communes) *nihil eſſe omittendum*, & non solum eſſe colligendas gemmas, sed etiam alios lapides; At qui roſas legit, non unâ spinas deruncinat, sed præterit, aut pedibus conculeat.

Apiculæ, ingeniosæ illæ & florilegæ aviculæ non temerè quosvis insident flores, nec ex quovis extrahunt quidvis, sed quod melioris succi est, quodque optimum, suavissimumque; hoc exsugendo mella constipant, quod in flore deterius est, araneis relinquunt, & sic cum delectu & velut cum judicio exsugunt atque excerptunt. Nos non minus his animalculis in rem nostram sapiamus, non promiscuè, quæ occurrunt, enotanda & Locis nostris importanda, putemus, sed quæ optima, quæ exquisitissima, maximè necessaria, & *ἐξ οὐμνηδευται*. Ne dici possit cum Socrate apud *Stobæum* f. 31. *Chartam scriptis longe pretiosiore esse*. Quod unicuique passim obvium, vulgare, & prorrutum est, sine damno transiri potest. *Delectu magis militum, quam innumeris copiis, & iis veteranis potius, quam tyronibus ingentia bella conficiuntur; ita nos seligemus, ex cunctis optima & usu firmata, his stabimus*, inquit, *Joh. Heurnius* dissert. de studio Medic. pag. 577. *Dissertationum de studiis Instit.*

II. *Ecce certis, optimis & probatissimis autoribus excerptat*. Non tantum attendat, *quid seligat*, sed etiam *à quibus*, juxta *Lipsii* monitum, in *Epist. Instit. cap. XII. Et Quintilianus lib. X. cap. 1.* Non nisi optimum quemque legendum

RATIO LEGENDI AUTORES.

dum, salubriter monet. Adeamus fontes ipsos, transeamus rivulos. Non gregarios milites, sed duces aut principes in quavis doctrina consulamus. Ubi requiritur *a. ut probe cognitos habeat Autores, doctorum manibus tritos & eorum judicio & applausu probatos.* Nam, ut ille ait, *magna pars studiorum est, nosse bonos autores.* Primum discipuli munus est, libros nosse, qui legendi ac prælegendi sunt. Multi iudicii quadam ~~degnitate~~ *a* bonorum Scriptorum delectum insuper habent, quævis volumina etiam inutilia corradunt, & non necessaria legunt, ita ut ex vero dicas de plerisque, *Pro capto Lectoris habent sua fata libelli.* Hujus *& affectu singula verba valent.* *E. ut autores probe cognitos non cursim, aut persuntorio, sed bono ordine, meditate & constanter legat.* Non satis est, compertum habere, quinam autores legendi sint, sed etiam, quomodo in iis versandum sit, attendendum. Si quis autem fructum aliquem lectionis consequi velit, non cursim, aut raptim, non saltuatim sed pedetentim, intenta mentis acie, constanter, non fastidiose, ordine, non transultorio modo, à capite ad calcem, à principio ad finem per dies, aut menses aliquot continuo Librum, qui in manibus est, legere debet. Nam promiscue & sine ordine
& de.

ET L. C. COLLIGENDI.

& delectu modo hunc, modo illum librum in manus sumere & transcursum ac fugitivo oculo omne genus autorum pervolare, non studere est, ut proficias, sed ludere & nugari, ut tempus & operam certas. Lectio vaga & desultoria diversorum voluminum plus laboris habet, quam utilitatis. Satiusest, paucis se tradere autoribus, quam errare per multos. Onerat discipulum turba librorum, non instruit. Non refert, quam multi, sed quam boni & bene legantur. *Certis ingeniis immorari & innutririi oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt, ut monet Seneca Epist. 2. Idem ait Epist. 45. statim ab initio. Non refert, quam multos habeas libros, sed quam bonos. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui quo destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur. Non ire istud, sed errare est. Confer eundem Epist. 108. Certe librorum, autorumque multitudine & lectionum varietate (verba sunt Ludov. Crocii in Instruct. de ratione Stud. Theol. loc. supra alleg. p. 408.*

p. 408.

RATIO LEGENDI AUTORES.

præstantissima quoque ingenia non raro obruuntur ac distrahuntur, ut eis tandem eveniat, quod est in πλὺθύναντο

De omnibus aliquid, de toto nihil.

Æque noxium est, & sine ordine in studiis vagari, & uno eodemque die multa & diversa legere atque addiscere velle. Varia ciborum genera simul in ventriculum congesta sanguinem & humorem lædunt atque corrumpunt. Nec aliter se habet noster animus, quem quisque alere cogitat lectione, abstineat eum à confusa & tumultuaria lectione. Ratio itaque omnis consistit in Autorum delectu; delectorum sedulà lectione, & eorum, quæ inter legendum notatu digna observantur, in Locos digestionem.

III. *Ad studiorum suorum finem & scopum, quem sibi præfixit, opportunitissima & necessaria enotet.* In unoquoque Theologiæ Studio, qui sese Deo & Ecclesiæ parat, requiritur I. ut certum sibi præfigat scopum. Quemadmodum viator viam ingressurus principio de certa meta cogitat, & scopum præfixum nunquam animo excidere sinit; ita & Theologiæ nostræ, quæ Viatorum est, (unde & ὁδὸς viæ, Actor. XIX. 9. 23. ὁδὸς τοῦ Θεοῦ, via Domini Actor. XIX. 26. appellatur,) studiosus, ante omnia suum sibi scopum & finem sanctè præstituatur, inque eum perpetuo

ET L. C. COLLIGENDI

petuò prospiciat. Hoc est, Mature secum deliberet atque constituat, oportet, quousque progredi in studio Theologico cupiat, aut possit. Num velit aliquando Deo vocanti inservire ad ædificationem, vel puerorum in Schola vel adultiorum in Ecclesia aut Academia. An velit summa tantum doctrinæ Christianæ capita rudem plebeculam docere, & fidei ac pietatis rudimentis imbuere, ac verò eruditiores, sive qui jam initiis religionis Christianæ imbuti sunt, porro informare, Mysteriorum divinarum rationes & momenta edocere, & contrarios sanæ doctrinæ errores refellere, vel etiam in Academiis non Christianos simpliciter, sed futuros Christianorum doctores instruere. Uti enim non est eadem per omnia utrobique (in Ecclesia & Schola) docendi ratio, ita etiam alia atque alia non solum dona, sed etiam doctrinæ instrumenta in docente requiruntur. *II. ut ad suum scopum seligendi atque enotandi solertiam attemptet, h. e. ut statuto certo studiorum fine, ea sibi comparet, excerpit & velut annonam in horrea sua reponat, quæ ad finem ducunt, & obtento fine, eum conservant. Qui fere rei bellicæ parant, iis potissimum exercentur quæ ad victoriam obtinendam conducunt. Aliptæ olim futurum athletam jamtum à pue-*
ro

RATIO LEGENDI AUTORES.

ro delectum fingeant, formabantque in futura certamina, & ad scopum suum omnia destinabant; Sic quoque jam inde à studiorum initio futurus Theologus, in iis duntaxat rebus elaboret, ea legat, ac seligat, quæ ad finem & scopum propositum faciunt, & aliquando usui sunt futura. Cum studiorum enim fine excerpta sunt commetienda. In Aristotelis Politicis legimus; *Ne mihi loquere lepida & jucunda, sed quorum civitas indiget*, sic & nos dicimus Theosophiæ Cultori; ne selige aut excerpe lepida & jucunda, sed quorum Ecclesia indiget, quæ tui sunt for, iquæque studiis & scopo tuo maximè conveniunt.

IV. *Non tantum lecta, sed etiam audita, quandoque etiam visa & cogitata in excerpta sua referat.* De lectis, auditis & visis, notæ dignioris & necessariis & aliquando profuturis, nullum est dubium. Cogitata verò, quæ videntur alicujus momenti, primum in adversaria (diarium verborum & rerum) transcribenda sunt, non Locis Communibus statim inferenda. Nam *αὶ δευτεροῦ πρὸς Περικλῆς οὐκ ὀφείλει*, juxta Euripidem in Hippolyt. quod Cicero Philipp. XII. c. 2. exposuit; *Posteriores cogitationes sapientiores solent esse.*

V. *Non solum res, sed etiam verba selectiora,*
item.

ET L. C. COLLIGENDI.

itemque phrasēs elegantiores, librorum custodiis concredat. Loci Communes non tantum sint receptacula & retinacula insignium rerum, sententiarum, dictorum, similitudinum, exemplorum &c. sed etiam vocum emphaticarum, Synonymorum, & Epithetorum congruorum, Troporum & Figurarum illustriorum, phraseologiae elegantioris, item formularum variarum, v. gr. exordiendi, perorandi, attentionem excitandi, interrogandi, proponendi, refutandi, connectendi, abruimpendi &c. Bene monet *Lipsius* in *Instit. Epist. cap. 12 Phrasēs enotari velim, quaecumque insigniores aut nitidiores occurrent, verba quaecumque rara* &c. Vide *Ethicae nostrae Pastoralis Monitum IX.*

VI. *Assidue & constanter excerptat.* Nunquam parcendum calamo, nunquam è manibus stylus est dimittendus. Hoc enim genus industriæ adeo est necessarium, ut eo neglecto vix ullus ad solidam eruditionem pateat aditus. Labascit hic sæpe fervor enotandi, & antequam vigere incipiat, sæpe senescit. Sed serio cuique statuendum, quod in stadio semel cepto constanter progrediendum sit, usque ad metam. Labor hic non ante quiescat, quam extremus vitæ dies lumina nostra condat.

VII. *Non omnia fusissime ac prolixè exscribat;*

bat;

RATIO LEGENDI AVTORES

bat; Qvod enim enotatur, selectum esse debet, memorabile, rarum, animadversione dignum. Si liber, qvi legitur, ubi vis obvius est, resqve excerptenda, non adeò rara, qvatuor, qvinque, aut paucioribus etiam versibus ea annotari potest, Interdum & lemmata sufficiunt, h. e. si notetur tantum autor, liber, caput, paragraphus, pagina. Qvod si verò Autor, qvi in manibus est, rarior sit, nec qvovis loco haberi possit, si qvid in eo selectius aut memorabilius occurrit, paulò fustius, qvandoqve de verbo ad verbum exscribendum est, ut habeamus, qvo aliquando defectum libri supplere valeamus. *Hic ego svaserim, inquit Drexelius Aurifod. art. & scient. part. II. cap. VI. si charta defit, inscribe manica, aut strophio, qvò excerptum venit, ne memorià excidat. Quemadmodum Basilio Abbati Cosmas, vir perinde sanctus ac eruditus svasens: Cum, inquit, inveneris aliquid ex opusculis S. Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribe illud. Ita ego; Si liber, cujus modò copiam habes, sit rarior, nec ubi vis locorum proset, exscribe, se qvid selectius & memorabilius occurrit; nec laboris aut temporis pœniteat. Historiarum capita tribus, ut ajunt, verbis tantum, cum numeris in Locis Communibus annotentur. Et in ipso autore verba-*

exscripta puncto fignentur, ut si aliquando locum petas, illicò adlit oculis.

VIII. *Excerpta ordine extruat, & rite disponat.* Ordo disciplinarum nervus est & anima, memoria lumen, ipsa que rerum presentia Princeps memoria subsidium Ordo, inquit Drexelius Aurifod. art. & scient. part. III. cap. 10. *Ordinem negligis, laborem supra modum auges, egerrime ingeris, celerrime elapsura.* Omnia facilima sunt ordine, difficilima cōfusione. Quid enim est, possidere multa, & quo unū quodque loco positum sit, ignorare? Rectè Columella; Si quis instrumenta hinc inde projicit, ille eger. Maronianum est; *Felices nimium, sua si bona norint Agricole.* Et quemadmodum tumultuaria librorum lectio non prodest, ita nec exscriptio. Ne itaque ulla in investigando obrepat mora, ne, si ruta & cæsa, rursus, prorsumque contusa jaceant omnia, inquirendi obortatur fastidium, sed statim in promptu sint, & quasi ultrò in manum convenient, quibus uti, fruique volumus, ideò svademus, ut excerpta, non conturbate & confuse coacerventur, sed ritè disponantur & ordine extruantur, eaque, quæ ejusdem argumenti sunt, conjungantur.

IX. *Nihil enotet, nisi cui certum titulum prescribat, & unde desumptum sit, in fine adjiciat.*

Ccc

ciat.

RATIO LEGENDI AUTORES.

ciat. Facit titulorum assignatio ad faciliorem rei inventionem. Hinc in Pharmacopolis cuilibet vel minimo vasculo suus tribuitur titulus. Sed de titulis peculiari capite postea agemus. Singulis quoque excerptis non nomina Autorum duntaxat in fine subijciat sedulus Excerptor, sed etiam Libros & capita & paragraphos & pagellas designet. Soliditas enim autoritatum est certitudo librorum & capitum. Et si liber aliquoties impressus sit, addenda Libri editio, ne paginarum nos turbet varietas, atq; ut remigrare statim possimus ad ipsam autorem, atq; ac eo, suborta dubitatione, sensum genuinum verborum percontari, expensis, quæ præcedunt & pone sequuntur. Et quia non omnia verbotenus exscribimus, & enotamus, adjiciendæ sunt subinde voculæ seu clausulæ. Hic breviter, iste copiose, prolixè, fuse; ille nervose, optime, eleganter &c. Hæ annotationiunculæ ad id etiam conducunt, ut inter aurores possit institui selectus, & cum propter temporis angustiam omnes simul inspicere non possint, omnium optimi ac cæteris meliores consulantur, ut bene monet Drexelius Aurif. part. II. cap. 4.

X. *Lectionem ipsam prolixâ enotatione non interrumpat.* Jam citatus Drexelius parte II. Aurif.

Aurif. cap. 2. inquit; *Omni Lectioni misceatur enotatio.* Nobis alia mens est. Crebra enim inter legendum scriptio lectionem valde turbat, impedit & retardat, imo facit, ut auctoris mentem & connexionem rerum non satis percipiamus & retineamus. Optimum etiam tempus, quod lectioni destinatum est, scriptio- ne illa, quæ in aliud tempus, studiis non ita commodum, rejici posset, consumitur. Ad ma- nus ergo habeat noster Excerptor schedulam, in quâ conjiciat tumultuario quasi calamo ea, quæ notatu digna inter legendum obveniunt, duobus vel tribus verbis, in memoriæ subsidium, annotatâ simul libri paginâ, paginæque parte, & in lectione pergat. (Veteres ejusmodi rudes & tumultuarios libellos seu scedas me- moriales appellabant *Conjectanea*, ut apparet ex ultimo capite Lib. XX. *Gellii*. Item *Adver- saria*, quod in ea memoriæ causæ res aliquas ad tempus sine ordine conjicerent,) Sic lectio non interruptitur. Dum legimus autorem, sæpe omnia, quæ occurrunt, prima fronte *ἀξιο- μωνόεσται* videntur, sed postea, fervore paula- tim expirante, integrius judicare possumus, an dignum sit, ita breviter in *ἑξέδων* memoriale conjectum, quod in Excerpta seu Locos Com- munes referatur.

IX. *Quæ enotat & Locis Communibus infert, elegantioribus & venustioribus characteribus efformet.* Quantum per notitiam suam, & temporis rationem licet, pingat literarum formas quam elegantissimè. Ea enim venustas & elegantia mirum in modum legentem afficit. In primis vitet in scribendo literarum exilitatem. Nam in senili atate, cui maxime excerpta & Locorum Communium thesauri parandi sunt, oculis caligantibus, talis Excerptor cum difficultate & rædio legit, quæ in juventute exscripsit, ipseque suum laborem averfatur.

XII. *Relata in locos Communes, aut saltem eorum summas frequenter & attente relegat.* Non sufficit excerptasse, sed excerpta sæpius relegisse. Optima quæque non chartis tantum commendanda sunt, sed & animo. Non satis est in scriptis rem habere, sed memoriæ unâ inscribi debet. Ne scrinia nostra doctiora fiant, quam ingenia nostra. Repetitio res cognitæ altioribus radicibus firmat & præsentiores reddit intellectui. Recte Seneca lib. III. de benef. cap. 2. *Quicquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoria nunquam subducitur, quæ nihil perdit, nisi ad quod non sæpe respexit.* Quod Gladiatoribus imperari solet, illud Literarum Cultori inculcandum, *Repete.* Nam ex quo libro

libro nihil excerpseris, illum te non legisse existima, illudque te non excerpisse puta, quod non sapius relegeris. Quicquid repetitione perpetua non recolitur, instar fluminis dilabitur. Quotidie itaque una atque altera pagina ex Locis Communibus relegenda est, ut ita diligenti repetitione collectanea nostra nobis reddamus familiaria.

XIII. *Tempus discescat in certos articulos; scil. in tempus 1. devotionis, 2. lectionis, 3. scripturæ seu enotationis & 4. denique repetitionis.* Tempus devotionis vocamus, quo preces ad Deum fundimus & S. Scripturam, Magistram virtutis & veræ fidei, Elogio *A. banasii*, legimus. Hoc fiat prima statim hora, quando è lecto surgimus, & ultima, quando cubitumimus. Imò, ut piè monet *Erasmus* in Ratione perveniendi ad veram Theologiam Tom. V. Oper. pag. 65. *Lectionem subinde interrumpat precatio aut gratiarum actio, quarum altera Sacri Spiritus imploret opem, altera beneficium agnoscat, sicubi te senseris profecisse.* Lectioni autorum detur *tempus matutinum*; Scripturæ vel enotationi *pomeridianum.* *Lectio ultra horam non est extendenda, sed qualibet horâ paulisper est remittendus mentis ardor, ne ob nimiam & continuam intentionem Spiritus*

RATIO LEGENDI AVTORES.

resolvantur, mensqve hebescat. Si enim nunquam cesses tendere, lentius eris, ut recte docet *Marsilius Ficinus* in libro de tuenda sanitate, cap. 8. Studii lassitudinem recreet Oratio, aut hymnus, aut Instrumentum Musicum. *Scriptioni* duabus à prandio horis incumbendum, ne concoctio impediatur & caput gravetur. *Repetitioni* nonnulli assignant horam sub somnum, quæ dicunt, ruminanda esse ea, quæ diurno spatio lecta vel audita vel notata sunt, ut tenacius hæreant. Sic *Pythagoræ* olim, quod quoque diu audissent, vidissent, legissent, vespere commemorare solebant. Alii sudent, ut post coenam omne cesset studium, sive ut ab omni lucubratione & meditatione abstinenceatur, ac horæ quædam à coena deambulationi aut doctæ & jucundæ confabulationi tribuantur. *Drexelius* Aurif. P. II. c. 2. præcipit, ut repetitio seu relectio Excerptorum instituat horulis subsecivis. Quo pertinet illud *Diogenis*, qui in interroganti, quando prandendum sit respondit, *Dives quando vult, pauper quando potest.* *Jochimus Fortius* libro de ratione studii, p. 295. Dissertationum variarum de Studiis instituend. Solent, inquit, à cæna horas quasdam tribuere amicis, ambulationi, aut rebus operæ levioris; Cuique sua natura & consuetudo. Mibi placet,